

culte, quominus idem presbyter Antonius plebanus per se vel alium, seu alios, dicti plebanatus S. Cassiani, ac omnium jurium ac pertinentiarum prædictarum possessionem pacificam assequatur; ipsumque plebanatum cum omnibus juribus & pertinentiis suis valeat pacifice possidere, ejusque fructus, redditus & proventus cum integritate levare, percipere & habere; alioquin vos omnes & singulos ac quoscumque alios contradictores, & rebelles, ac impeditentes præfatum presbyterum Antonium, vel alium, seu alios ejus nomine super præmissis in aliquo dantes consilium, auxilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, nisi infra terminum sex dierum a die scientie computandorum, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies vobis universis & singulis pro tertio & peremptorio termino, ac antedicti canonica monitione præmissa assignamus, a contradictione, rebellione, auxilio, consilio & favore ac aliis prædictis omnino destiteritis & destiterint, ac mandatis nostris hujusmodi, imo vero Apostolicis parueritis & paruerint cum effectu, singulariter in singulos excommunicationis, in Capitulum vero præfatum suspensionis, & in Ecclesiam dicti plebanatus S. Cassiani interdicti, dicta Apostolica auctoritate sententias ferimus in his scriptis, & etiam promulgamus.

Vobis R:^{mo} in X^o Patri & DD. Episcopo Venetiar. quem ob reverentiam vestrae Pontificalis dignitatis præfate nostra sententia nolumus sic ligari, si contra præmissa, vel aliquod præmissorum feceritis per vos, vel submissam personam, directe vel indirecte, publice vel occulte, ac mandatis nostris
hujus-